ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Amplissimo ac Summo Viro,

Constantino Hugenio

Jos. Cabeliavius S. D.

Duas jam pridem ad me dederat utriusque nostrûm studiosissimus, Godefridus Wendelinus, eas beneficio tuo nactus sum, Vir Amplissime. quarum è calce uti liquet, ante annum, & quod excurrit, conscriptæ fuerant. Ut hinc facilè colligam, quàm non meum in Suediam abitum ignoraveris. Bene fecisti, qui eas in reditum meum custodieris. Et hoc nomine ingentes tibi gratias ago. Vult idem ille Noster, ut, quicquid rescribam, curem, id per te curari. Quod facere ausus non fuissem, nisi tanti Amici imperio obsequuturus. Ignosces ergo mihi, si quid hic peccem. Coram, uti stabat, & hoc, et alia, audivisses. Et jam Hagæ eram, tecum penitius de toto itinere meo acturus. Sed, ut dicebatur, in castris Illustrissimi Principis tunc eras. Interim ergo huc, ut vides, recurri. Ubi diutius, nullis ad te datis, commorari ac deliteſcere erubui. Ergo has arripe, flagrantis animi mei in te animi et amoris testes. quis, si nihil aliud, saltem id persuasum tibi habeas, tanto me te affectu prosequi, ut, vel omnes ἐλέγξας τῇ διεξόδῳ φίλους, occurrat nemo, cui impensius, quàm tibi, faveam. Hinc sæpe incalesco, vel illustrium tuarum virtutum, vel insignis tuæ eruditionis, æstimator. Hoc quantum mihi nomine gratulor, tantùm doleo, cui non licuerit hactenus propius tecum vivere. Adeò mihi summo in pretio es, Hugeni, μέγα κῦδος Patriæ nostræ. Sed et inde meus erga te affectus gliscit, quod Brabantinos meos amas. Puteanos, inquam, Tuldenos, Wendelinos, cæterosque. qui ut tui sunt amantes, ita etiam testes esse poterunt, quid ego de te semper scripserim. quamquam amori nostro nihil augeatur. Neque ideo hoc jam testor, quasi tantùm mihi pondus vindicem. saltem eo fit, ut semel firmiter confidas, nihil mihi esse prius aut antiquius, quàm ut de te bene mereri aliquando possim. Etsi impar ac indignus sum, cujus officia tantis surgant fastigijs, tamen eo incumbam omnis, uti olim me tui studiosissimum agnoscas. Interea omnia mea studia, & quæ in me commendentur insuper, ex intimo animo tibi consecrata sunto. Ego verò de tuo in me candore adeò non dubito, ut vel pollicear mihi, vel expectem, quicquid à vero amico proficisci queat. Uxorem me duxisse, qualem mihi optâram semper, modestam, ingeniosam, probam. addam & et fecundam. Ut et nos quoque posteritati litasse videamur. Faxit Deus, talis mihi nascatur puer, qualem mihi optat Divinus ille Salmasius in Epigrammate illo Græco, quàm erudito, tam malè excuso. Interim verò omnia fausta expectabimus securi. Has ad Celeberrimum Wendelinum

nostrum

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/806

Nostrum curæ tuæ committo. Ut dixi ante, Amici nomine pecco. Sicubi vicissim inservire tibi possum, quæso, impera parato. Ut spero, rescribes. Mittendi orbitam quia nescis, compellare dignaberis incomparabilem Heinsium nostrum. Novit hic Heros, ubi terrarum nunc commoretur. Studia nostra promovere, scio, non desinit Excellentia Tua. Quamobrem et tibi, Decus meum, si cuiquam, illa commendârim. Pluribus te occupare nolim.

Vale. Nucleæ, id est, in prædio nostro dotali, prope Bredam. XXVII. Julij. MDCXXXIII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/806

Mijn Heer,
mijn Heer Constantinus Hugenius,
Ridder, Raed en Secretaris
van Sijn Princ. Ex.tie
In
's Graven-Hage.

port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/806